



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Respondetur argumentis Aureoli, & aliorum. c. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

productum, nec respectu actuum notionalium, nec respectu personarum productarum; sed potentiam Dei ad generandum, vel spirandum nihil aliud esse, quam non repugnantiam terminorum, eodem prorsus modo, quo dicere solemus, Deus habet potentiam, ut sit Deus: probat primum, quia ubi non est vere productio elicita, vere non est potentia producativa: hæc enim est respectu producti

Prima ratio.

motu actione, aut productione à se elicita: in Deo autem non est productio elicita: intra ipsum, nam generatio, reuera non est elicita: est enim idem omnino cum producente: productio vero elicita realiter differt ab eliciente: elicere namque realiter distinctionem denotat: ergo in Deo non est potentia producativa intra ipsum. Deinde esse Patrem in Deo non est alicuius potentie productivæ, sed non repugnantie terminorum: itaque Deus potest esse Pater non quidem potentia producativa, sed non repugnantia terminorum ergo esse Filium non est potentie productivæ, sed non repugnantie. Hæc sunt potissimæ rationes illius.

Secunda ratio.

Constitutus autem Greg. priori ratione, existimavit, in Deo non esse potentiam realem respectu actuum notionalium, sed tantum respectu personarum productarum. Sic docuit in 1. d. 7. q. 1. art. 1. ad 1. Aureoli, cui consentiunt Capreolus eadem diff. qu. 1. art. 2. ad 2. Aureoli, contra primam conclusionem. Caietan. & Cárar. in hunc artic. Idem docent de potentia creandi, eo quod putant inter Deum creatorem & creaturam non esse mediam actionem elicitam, similiter, nec inter Patrem generantem & Filium genitum: est enim solum relatio aut producativa, aut producti per modum actionis: ac proinde potentia realis solum concedenda est respectu personarum productarum, non autem respectu productionis, quæ reuera non est elicita, cum non sit aliud, quam res producta. Nam quemadmodum, ut sit potentia realis respectu rei productæ, debet res producta distinguí realiter à producente, ita, ut sit realis potentia respectu productionis, debet esse actio vere & secundum rem media inter producativam, & productivam, ut ita actio quoque elicita sit à producente. Hanc sententiam indicare, videtur S. Tho. supra qu. 25. art. 1. ad 3. ubi concedit in Deo potentiam vere comparatam cum effectu, non tamen cum operatione: quia, inquit, operatio Dei non distinguitur ab ipsa potentia Dei, & in hoc art. ad 3. & qu. 2. de potentia, art. 1. in fine idem videtur docere.

Ratio.

CAPVT II.

In Deo esse vere realem potentiam producativam, non tantum respectu personarum productarum, sed etiam respectu actuum notionalium, probabilius est.

Prima assertio.

Ego vero multo probabilius esse censeo, & magis secundum mentem Doctoris sancti, ponendam esse potentiam producativam realem in Deo, non solum respectu personarum productarum, sed etiam respectu productionis, & actus notionalis. Quam in primis video mihi colligere ex S. Tho. in hoc art. cum enim in titulo quæsisset, utrum esset potentia respectu actuum notionalium, respondens in corpore disertis verbis eam concedit: & ad 3. respondet, in Deo esse potentiam huiusmodi respectu illarum actionem, secundum quas res aliquæ procedunt à Deo distinctæ vel essentialiter, vel personaliter tantum; cum tamen in eadem solutione dicat, non esse poten-

S. Thomas.

tiam huiusmodi respectu operationis immanentis essentialis, qualis est intellectio & dilectio. Neque quidquam aliud dicere voluit in quæst. 25. artic. 1. quem Caietanus, & alij pro sua referunt sententia, ut disputatione 102. cap. 1. notavimus. Solum enim ibi dicit, in Deo non esse potentiam secundum rem respectu operationum immanentium intellectu, & voluntatis, intelligit autem essentialis.

Ratione vero probatur, quia ad rationem potentie realis, non est necesse, actionem seu productionem distinguí à re producta, & ab ipso producente, eo quod ipsa actio non est id, quod producativum: sed quasi medius actus, quo res ipsa & effectus producativus, qui sola nostra consideratione medius est, & à relatione & producti sola ratione differt: satis autem videtur distinguí rem productam à producente: sic enim ipsa vere elicita, & egreditur ab agente, eius autem egressio est actio media inter illam & principium producativum: distinctis autem duplex actus huius egressus intelligitur, alter, qui dicitur origo actus, & est idem realiter cum relatione producativæ, alter, qui dicitur origo passiva, & est idem realiter cum relatione producti. In productionibus quidem rerum creaturarum id licet intueri, nam fieri res ab agente creato nihil aliud secundum rem videtur esse, quam ipsa relatio producti considerari per modum viæ; vel si dicatur modus aliquis illius rei ita consideratus, qui in rebus, quæ non pendent ab agente, continuo desinit esse, relictam producativam; in aliis vero, ut in lumine, & intellectu eliciente intellectionem, quibusdam videtur non distinguí ab ipsa re producta, eodem modo est ipsa creatio in re creati. Cum igitur dicamus, in intellectu nostro esse potentiam realem, non solum ad rem productam, sed ad productionem illius, in Sole similiter ad lumen productum, & ad illuminationem, sequitur, necessariam esse distinctionem realem inter originem & personam productam, ut in Deo dicatur esse potentia secundum rem, non tantum ad personam productam, sed etiam ad ipsam originem & actum notionalium.

Neque quidquam obest, quo minus in Deo hæc potentia, esse idem ex natura rei cum essentia divina, & persona producente; ut enim dicatur potentia realis ad aliquam operationem, aut ad aliquam rem productam, non opus est realiter distinguí ab eo, cui inest: sed sufficit distinguí realiter à re ipsa producta, ut notavi supra disputatione 102. cap. 1. Quod circa existimo etiam manifeste Aureoli, cum asseruit, potentiam in Deo, ut sit Filius, non esse aliam, quam, ut sit Pater: cum cum Filius secundum rem vere producativus, non autem Pater; potentia, ut sit Filius, & producativus, est realis, ut autem sit Pater, qui non producativus non est realis.

CAPVT III.

Respondetur argumentis Aureoli, & aliorum.

Am vero ex dictis soluta manent duo argumenta Aureoli. Ad prius enim dictum est, quod vere potentiam producativam in Deo, non sit productio realiter distincta à re producta, quin imo hoc non obstante, esse potentiam respectu etiam actuum notionalium, quia ad ipsam

factis est, esse distinctionem inter personam productam & producentem, ut explicatum est. Ad posterius autem in fine præcedentis capitis dicebamus, esse quidem aliam potentiam in Deo, ut sit filius, quam ut sit pater: & eam non esse solam non repugnantiam terminorum. Porro cum *Arist. 12. metaphys. text. 30.* docet, in Deo non esse potentiam, de ea potentia intelligit, quæ quandoque est in actu, quandoque illo caret. Talis enim in Deo non est, respectu eorum, quæ sunt intra ipsum Deum.

Est tamen argumentum S. Thom. quod secundum loco proposuit in hoc articulo, in hunc modum. Potentia dicitur respectu possibilis: sed intra Deum non est aliquid possibile: ergo ad ea, quæ intra Deum sunt, non est potentia. Respondet S. Thom. in Deo esse possibile, ut continetur sub necessariis, tamen non sit possibile, quod est contingens; quare respectu possibilis priori modo est in Deo potentia. Hæc tamen solutio displicet Dur. in 1. dist. 7. q. 1. ad 2. nam si possibile, quod est intra Deum, idem est quod necessarium, idem erit, posse esse filium, & posse esse Deum, quod etiam est necessarium: sed posse esse Deum est solum potentia, quæ est non repugnantia terminorum: ergo posse esse filium similiter: quare non erit in Deo potentia producentis. Ideo ipse Durandus ita respondet, Possibile in diuinis non excludit necessarium, nec significat aliquem effectum pendentem ab alio, nec solum non repugnantiam terminorum, sed denotat id, quod respondet potentie producenti.

Verum, si Dur. attendisset solutionem S. Thom. eandem omnino cum sua esse comperisset: Dicit enim, possibile in Deo non esse contingens, id quod Dur. quoque fatetur: ad id etiam, esse necessarium, sicut est necessarium, posse esse Deum; nec in hoc dissentit Durand. ait enim, *Possibile in Deo non excludit necessarium.* Hinc autem recte infert S. Doctor esse in Deo potentiam producentem: nam quamvis ex eo, quod sit possibile, Deum esse potentia, quæ est non repugnantia terminorum, non sequatur, Deum ut Deum produci posse; ex eo tamen, quod non repugnet, filium esse in Deo, etiam si id necessarium sit recte sequitur, posse generari, ac proinde esse potentiam producentem illum, quia de ratione filij est produci & generari: de ratione autem Dei, ut Deus est, non est produci, sed à se esse. Idem quod de filio, de Spiritu sancto dici debet.

Observandum tamen est discrimen inter omnipotentiam Dei, quæ respicit creaturas, & potentiam producentem, quæ respicit personam intra ipsum Deum productam; nam omnipotentia refertur ad creaturas, non sub ratione, & denominatione possibilis produci, sic enim esset inutilis citulus, ut ostendimus disput. 104. c. 4. sed sub ratione absoluta, quatenus ex se non implicat contradictionem, ut sunt ex quo recte sequitur, in Deo esse omnipotentiam relatam ad creaturas: ex omnipotentia vero relata rursus sequitur, creaturas esse possibiles. Eodem modo omnipotentia actu producentis non refertur ad creaturas, sub relatione producti, sed sub propria ratione absoluta creaturæ existentis: at vero potentia producentis intra Deum, etiam si consideretur, antequam producat sub ratione solum potentis producere, refertur tamen ad personam sub ratione relatæ; *Vasquez in 1. p. tom. 2.*

quia persona relatione substantialiter constituitur, & ita peculiare esse diximus disput. 99. c. 6. relationem diuinarum, ut non ad absolutam, sed ad relativam referantur. Quocirca recte sequitur in Deo esse potentiam producentem, ex eo, quod intra Deum non repugnet esse Filium & Spiritum sanctum, in his enim includitur origo.

ARTIC. V.

Utrum potentia generandi significet relationem, & non essentiam.

AD quantum sic proceditur. Videtur, quod potentia generandi vel spirandi significet relationem, & non essentiam. Potentia enim significat principium, ut ex eius definitione patet. Dicitur enim potentia actiua esse principium agendi, ut patet in 5. Metaph. Sed principium in diuinis respectu personæ dicitur notionaliter. Ergo potentia in diuinis non significat essentiam sed relationem.

2. Præterea. In diuinis non differt posse & agere: sed generatio in diuinis significat relationem. Ergo & potentia generandi.

3. Præterea. Ea quæ significant essentiam in diuinis communia sunt tribus personis: sed potentia generandi non est communis tribus personis: sed propria patri. Ergo non significat essentiam.

Sed contra est, quod sicut Deus potest generare filium, ita & vult. Sed voluntas generandi significat essentiam. Ergo & potentia generandi.

Respondendo dicendum, quod quidam dixerunt, quod potentia generandi significat relationem in diuinis. Sed hoc esse non potest. Nam illud proprie dicitur potentia in quocunque agente quo agens agit. Omne autem producentis aliquid per suam actionem, producit sibi simile quantum ad formam qua agit. Sicut homo genitus est similis generanti in natura humana, cuius virtute pater potest generare hominem. Illud ergo est potentia generatiua in aliquo generante, in quo gentium similatur generanti: Filius autem Dei similatur patri gignenti in natura diuina. Vnde natura diuina in patre est potentia generandi in ipso. Vnde Hilarius. dicit in 2. de Trinit. *Lib. 2. de Trinit. non potest eam, ex qua perfecta est, non tenere naturam: nec enim aliud quam Deus subsistit, quod non aliunde quam de Deo subsistat.* Sic igitur dicendum est, quod potentia generandi principaliter significat diuinam essentiam, ut Magister dicit. 7. d. 1. sent. non autem tantum relationem. Nec etiam essentiam in quantum est idem

D d rela-

relationi, ut significet ex æquo utrunque. Licet enim paternitas ut forma patris significetur, est tamen proprietas personalis habens se ad personam patris, ut forma individualis ad aliquod individuum creatum. Forma autem individualis in rebus creatis constituit personam generantem, non autem est quo generans generat: alioquin Socrates generaret Socratem. Unde neque paternitas potest intelligi, ut quopater generat, sed ut constituens personam generantis: alioquin pater generaret Patrem. Sed id quo pater generat est natura diuina, in qua sibi filius assimilatur. Et secundum hoc Damasc. dicit, quod generatio est opus naturæ non sicut generantis, sed sicut eius quo generans generat. Et ideo potentia generandi significat in recto naturam diuinam, sed in obliquo relationem.

Lib. 1. ortho-
dox. fid. c. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod potentia non significat ipsam relationem principij, alioquin esset in genere relationis: sed significat id quod est principium: non quidem sicut agens dicitur principium: sed sicut id, quo agens agit, dicitur principium. Agens autem distinguitur a facto, & generas a generato. Sed id quo generans generat, est commune genito & generanti: & tanto perfectius quanto perfectior fuerit generatio. Unde cum diuina generatio sit perfectissima, id quo generans generat, est commune genito & generanti, & idem numero non solum specie, sicut in rebus creatis. Per hoc ergo quod dicimus, quod essentia diuina est principium, quo generans generat, non sequitur, quod essentia diuina distinguatur: sicut sequeretur, si diceretur quod essentia diuina generat.

Ad secundum dicendum, quod sicut est idem in diuinis potentia generandi cum generatione: ita essentia diuina cum generatione & paternitate est idem re, sed non ratione.

Ad tertium dicendum, quod cum dico potentiam, potentia generandi significatur in recto, & generatio in obliquo. Sicut si dicerem essentiam patris. Unde quantum ad essentiam quæ significatur, potentia generandi communis est tribus personis. Quantum autem ad notionem, quæ connotatur, propria est personæ patris.

CONCLUSIO est, Potentia generandi significat in recto essentiam, sed in obliquo relationem.

Quid sit formaliter potentia produ-
cens intra Deum.

Opinio Bonauenturae, cap. 1.

Exponuntur quinque alia Scholasticorum sententia cap. 2.
Potentiam, quæ producit personam diuinam, esse diuinam
essentiam connotatam proprietate, verior sententia
est, cap. 3.

Corollaria superioris sententia: & solutio argumentorum
aliarum opinionum, cap. 4.

CAP. I.

Opinio Bonauenturae.

ANtequam varias Scholasticorum opiniones referamus, præmittendum est, Deo duplici modo principium producentem assignandum esse, nullo modo intelligendi, instar aliarum rerum: est enim principium quo agens producit, & vocari solet, & principium quo, & principium, quod producit. De hoc dicitur principium quod. Principium quo, idem est, quod potentia, de qua nunc inquirimus. Est autem virtus quædam, qua instructum aliquod agens operatur, principium autem quod, dicitur totum ipsum, quod hac virtute præditum aliud producit. In diuinis vero principium quod, dicitur persona; principium autem quo, dicitur potentia, de qua nunc est nobis controuersia, quidnam formaliter sit, utrum relatio, an essentia Dei, vel utrumque simul.

Porro hoc duplex principium non repugnat simplicitati Dei, ut falso docuit Greg. in 1. disp. 7. q. 2. artic. 2. qui eadem ratione negat in Deo formam illas, quas notiones Theologi appellant, ut disp. 136. c. 2. memorauimus. Nam cum sola nostra consideratione hæc in Deo distinguantur, etiam in Deo aliquid ut forma aliquid instat materiam accipiat, nihil perfectioni ipsius derogamus, sed ut possumus, eum intelligimus: propter hanc rationem solam distinctionem rationis loquentem nobis esse per abstracta, & concreta nomina, & notiones per modum formarum esse in Deo constitutas, probauimus contra Gregor. & alios in illo capite. Nunc igitur quaestio est, quid sit formaliter potentia nostro modo intelligendi, seu principium, quo, in Deo respectu productionum personarum.

Hac præmissa notatione, prima sententia sit Bonauenturae in primum distinct. 7. quest. 1. & Durandi in quest. 2. num. 29. qui asserunt, principium quo, seu potentiam formaliter esse relationem, seu proprietatem: tamen si, cum de persona Patris loquitur Bonau. quam existimat prius ratione intelligitur potentem generare, quam actu generantem, & potentem esse proprietatem, non sub ratione relationis paternitatis, sed sub ratione ingenerantis, vero Durand. quia putauit, non posse concipi prius personam, nisi actu generantem, dicit potentiam esse ipsam proprietatem sub ratione relationis: ergo ambo in eo concordant, ut potentia formaliter sit proprietas personalis; differunt tamen in modo explicandi iuxta varias opiniones quas de principio constitutiente personam fecerunt, ut vidimus disp. 159. cap. 4. §.